

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4619

Auteur(s) : Robert, Séés, Saint-Martin (abbé)

Bénéficiaire(s) : Séés, Saint-Martin (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1077-1089]

Action juridique : notification

Langue du texte : latin

Analyse

Notice des donations de la comtesse Adélaïde à Saint-Martin de Séés.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Musset Lucien, *Actes inédits du XIe siècle* un nouveau document sur la fortune de Saint-Martin de Séés, *BSHAO* n°88, 1960, p. 25-28.

Dissertation critique

La donation par la comtesse Adélaïde date a'avant 1083-1089 (GAZEAU, *Normmania monastica*, t. 2, p. 355. Elle est seconde épouse de Roger II de Montgommery dont la première épouse Mabilie de Bellême est morte en 1077.

Texte établi d'après a

In honorem et laudem sanctæ et individuæ Trinitatis ac beatissimæ virginis Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi et omnium sanctorum. Videtur justum ut si aliqua religiosa persona donum de proprio suo hereditabiliter pro salute sua vel familiarium suorum ad aliquod monasterium fecerit, quod donum vel ad ecclesiæ ornamenta vel ad sustentationem Domino ibidem servientium pertineat, ut ejusdem doni et donantis talis nota fiat, ut quicumque audierit, vel ipsum donum agnoverit, ad bene agendum exemplum habeat, et omnes, qui serviunt vel servituri Domino sunt in eodem monasterio, donum cognoscentes, Dominum glorificent, et ipsius donantis memoriam sine fine teneant, et pro salute sua et suorum Dominum suppliciter exorent, quod valde justum esse intelligerent, et velut ex debito ab omnibus esse tenendum. Ego frater Robertus qualiscumque abbas, ac tota congregatio fratrum Domino conservientium in cænobio Sancti Martini Sagii, duximus congruum fore ut quædam dona, de multis quæ Adeleisis comitissa et religiosa Domini famula, pro salute viri sui et sua et comitissæ Mabilie, misericorditer super indigentiam nostram mota, monasterio nostro fecit et sæpe facit, sanctæ memoriæ scripto commendetur, et ipsum scriptum in sacrario nostri monasterii in perpetuum conservetur, ut sine intermissione memoria viri et sua cum sancta supplicatione et quotidiana a fratribus nostri monasterii habeatur. Notum sit itaque omnibus quod ipsa Domini famula, in primis quatuor ornamenta pretiosissima Domino et sanctæ Mariæ atque sancto Martino fieri fecit, primum calicem in auro et lapidibus artificioso opere fabricatum, dehinc vestimentum sacerdotale deauratum, scilicet infulam et stolam auro decentissime paratam ; fecit etiam ex pretioso auro crucem lapidibus convenienter et subtili opere fabricatam, in qua habemus Domini gratia pretiosissimi ligni dominici partem repositam, in qua posuit pro caritate ipsius ligni dominici quædam sua monilia, quæ satis cara habuerat, sed amodo ab ipsa et ab omnibus sic locata habenda cariora ; deinde cappam de albo pallio, cum optimo auro friso paratam. Præter hæc, cum adhuc plura facere deliberaret, et sicut Domini famula hilari corde multum optaret, habuit consilium ut aliquid

hæreditabiliter emeret, quod in perpetuum nostro monasterio remaneret, et de redditione ipsius coemptionis prius fierent ornamenta, scilicet textum, candelabra duo et thuribulum, quæ perficere de proprio suo desiderabat, et post ad quoscunque usus necessarios deputare vellemus remaneret coemptio ipsa. Dedit itaque viginti septem marcas argenti... habemus in perpetuum pro XII libris terram ad unam carrucam terræ de domino Gumhero apud Luercum, et terram fere ad unam carrucam cum pratis super Sarton, in villa quæ nominatur Ace pro sex libris, et adhuc de eodem argento dedimus pro dimidia decima de Vihenas novem libras. Postea cum ista ad utilitatem monasterii nostri ita collocavisset, intelligens Domini famula quod magis indigeremus multis aliis quam illis ornamentis, quæ se facturam disposuerat, concessit benignissimo animo ut redditionem earundem coemptionum acciperemus in his rebus quibus indigebamus, quod secundum dispositionem suam per Domini gratiam fecimus. Deinde, sicut est semper sollicita super omnes indigentes, animadvertens quia nihil habebamus deputatum ad indumenta fratrum, compatiens sicut pia mater indigentiam nostram, statuit si Dominus vitam comiti Rogerio viro suo et sibi vitæ daret ... daret Domino et sancto Martino ad faciendas coemptiones terræ et decimarum, ut de ipsorum rerum redditione possent habere fratres Deo in monasterio nostro servientes, per singulos annos viginti libras cænomannensis monetæ ad explendam indigentiam indumentorum suorum ; dedit itaque ad hoc acquirendum primum tres marcas auri, dehinc quindecim libras sterlinorum et de hac pecunia dedimus in ecclesia de Linneriis et in terra ad unam carrucam apud Condet de dominio Roberti Quadrelli XXII libras, et pro dimidia decima Sancti Celerini et terram ad unam carrucam et dimidiam XI libras, quæ terra est in parrochia Sancti Martini, et apud Montem Gomeracum dedimus pro decima terræ Herberti Catet et Fulconis Blundi VII libras et dimidiam, et pro dimidia decima de Rupetroso III libras, et apud Torniacum pro terra unius carrucæ XII libras ...